

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis  
conceptibvs moralibvs illvstratvm**

**Venegas, Luis**

**Fribvrgi Brisgoiae, 1624**

Sermo secundus

[urn:nbn:de:bsz:31-160454](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160454)

sic exclamare cogatur. Vicistis peccatores, iustam vindictam, & meum contra vos furorem compressistis, & etiam si aeternis suppliciis propter vestra scelera digni sitis, propter huius tamen preces & patrocinium, quae me noue mensibus in suo utero gestauit, & quae vestra advocata in beatitudine existit, lubenti animo ignosco, & ad meam amicitiam reuoco, ut in hac vita mea gratiam participes effecti, in futura aeterna gloria perfruamini, quam mihi & vobis prestare dignetur Iesus Christus Amen.



### Sermo secundus.

#### PRO SALVTATIONE Angelica.

**E**vangeliū, quod ab Ecclesia hodierna assumptionis festiuitate proponitur, liber alter Ezechielis est; qui, ut refertur cap. 3. illius Prophetiae exterius pulcher erat, & intra optimis characteribus illustratus fuit, quem cum comedisset Sanctus Propheta Ezechiel, mellis dulcedinem & saporem expertus est. Ita in presenti Evangelio contingit, historia enim illius optima & verissima, ac pulcherrime ab Evan-

gelista descripta est, internè tamen profundissima mysteria latent melles planè dulciora & sapidiora, quae ut in lucem eruamus, gratiam Spiritus Diuini Mariae Sanctissimae interuentu postulemus, dicendo Ave Maria.

#### Intrauit Iesus in quodam castellum &c. Luc. 10. cap.

**O**ptimo sanè iure nostra mater Ecclesia tantam solemnitate, & letitiam ac iucunditatis signis assumptionem Beatissimae Mariae celebrat, festum quidem, in quo tria celeberrima festa continentur. Hodie enim eius sacratissimae mortis dies in omnium fidelium memoriam reuocatur, cum illa anima sanctissima à corpore, templo & sacratio Spiritus Diuini separata fuit. Celebramus etiam illius exequias & funeralem pompam, quam Apostoli peculiari miraculo ex diuersis mundi partibus conuenientes exhibuerunt, & gloriosam eius resurrectionem, quando anima iterum corpori, cum quo tam fideliter & dulciter convixerat, unita fuit. Tandem hodiernam luce admirabilis eius assumptionis mentionem facimus, cum Maria sanctissima, corpore & anima vniuersam curiam caelesti comitata, super omnes choros Ange-

lorum, tanquam ipsorum Domina  
& Regina eleuata & coronata fuit.  
Præfens ergo festiuitas celeberrima  
& iucundissima est, cum arca Noë,  
per quam à peccati diluuiò liberati  
sumus, super montes Armeniæ re-  
quieuit, & columba illa diuina, quæ  
nunquam, etiam si diu in hoc læcu-  
lo morata fuerit, rebus caducis ad-  
hæsit, ad arcam iterum reuerfa est,  
ac deinde in cælestib. palatijs suam  
sedem & habitationem constituit.  
Hodiè vniuersus Israel arcam Do-  
mini ex domo Obededon eduxit, &  
uarijs instrumentis musicis comita-  
tam, in cælestem ciuitatem intro-  
dixit; diès planè solemnissima,  
cum omnes Domini & Principes I-  
srael cum verò Salomone conueni-  
entes, arcam domini humeris sacer-  
dotum deportatam, in Sancta San-  
ctorum, inter alas Cherubim col-  
locarūt. Hodiè habitatores Bethulæ  
à primo vsq; ad vltimum fortissima  
Judith occurrerunt, & luminibus  
accensis eā circūdantes, in emin-  
tiori ciuitatis loco constituerunt.  
Hodiè etiam Maria sanctissima ad  
filij sui dextram, tanquam omnium  
cælorum Regina refedit, & conse-  
quēter hodierna festiuitas postulat,  
vt de immensa gloria, quā potitur  
breuiter agamus. Videbitur ta-  
men alicui Ecclesiam extra propo-  
situm in hac assumptionis solemnitate  
historiam & Evangelium Mar-  
thæ & Mariæ adducere ad gloriam

Mariæ sanctissimæ explicandam. La-  
ta hæretici sacrilego ore calumni-  
antur, præcipuè Buzerus sic ait.  
Bone Deus, quàm miserè hæc lectio  
torta est, vt assumptioni Diuæ Vir-  
ginis Christi matris responderet.  
Miserius tamen blasphemus hæreti-  
cus in hoc desipitur; Evangelium e-  
nim hodiernæ festiuitatis conueni-  
entissimè ad præmia & gloriā Beatif-  
simæ virginis extollendam allatum  
est: Quia Christus Saluator noster  
summâ curâ & diligentia vberem  
sui hospitij mercedem his, qui eum  
humaniter excipiebant, semper cō-  
tulit; Et idè Zachæus, vt notat S.  
Ambrosius super Lucā cap. 19. tam  
hilariter & diligenter Christum ho-  
spitio excepit, quia Christi erga su-  
os hospites liberalitatem optimè  
nouerat. Si enim Christus cum pu-  
blicanis aliquando comedit, postea  
illorum peccata condonauit, & si  
cum amicis eo fine in eorum pran-  
dio cōparuit, vt in sui amorem eos  
inflamaret, & consequenter largi-  
ter accepta beneficia compensaret,  
vt potè cum cælestia bona pro ter-  
rennis conferret. Vnde colligitur  
quàm liberaliter, & vltra debitum  
Marthæ & Mariæ suum hospitium  
soluerit; ipsæ enim solùm in terra  
nostro Saluatori hospitium pararūt,  
ipse verò in cælestib. palatijs, illæ per  
aliquot dies, Christus verò in per-  
petuas æternitates pulcherrimam  
habitationem eis præparauit: Ex

Hh

quo

quo evidenter constat, mercedem à Christo hominibus in compensationem collatâ, seruitia accepta longissimè superare. Si ergò Christus Redemptor noster tanta & tam abundantia præmia pro hospitio in terris accepto, istis sororibus largitus est, quanto maiora Mariæ sanctiss, conferet, cum eum in suis visceribus receperit, quib. longè præstantius hospitium, quàm Martha & Mariæ, nostro Saluatori præstitum est? Idèd Ecclesia hodiernâ assumptionis festiuitate hoc Euangelium vsurpat, vt ex præmio & mercede, quam vtrique sorori largâ ac liberali manu Christus contulit, apertis indiciiis immensa Mariæ sanctissimæ præmia colligamus, præcipuè si illius erga Christum seruitia cum aliis à Martha & Mariæ præstitis, conferamus. Istæ enim sorores nostrum Redemptorem Bethaniam accedentem in externo palatio susceperunt, at Beatissima Virgo intra se per nouem menses honestissimum ei hospitium præbuit, Martha, quæ domina interpretatur, tribus annis suam domum & habitationem, charitatisquè officia exhibuit: Beatissima verò Virgo triginta annorum spatio maiori curâ & sollicitudine tam domi, quàm in Ægypto, & in aliis locis ei inseruiuit. Et si Maria Magdalena verba nostri Saluatoris ad pedes illius sedens attentè auscultauit; maiori prorsus

attentione Mater Dei verba salutis audiebat, & in corde diuinis considerationibus conseruabat. Ex quibus omnibus inferri potest, Mariæ sanctiss, immensa præmia suis officiis & virtutibus debita collata fuisse. Magni Deus æstimat misericordiæ & charitatis officia peregrinis exhibita, cum eos, qui se in illis exercuerunt, primò ad coronam gloriæ immarcessibilem capescendam vocet, vt præcedenti concione dicebamus. *Venite benedicti patrum et percipite regnum, Matt. 25.* Si igitur Deus eos, qui erga pauperes hospitales sunt, tantis prærogatiuis & honoribus, profectur, quid de Martha & Maria Magdalena censendum est, quæ non solum Christi nostri Saluatoris pauperes, sed etiam ipsum omni humanitate & charitate per multos dies in propriam domum receperunt? sine dubio inter alios Christi fideles, qui in vita actiua excelluerunt, peculiari aliquâ mercede ditatæ sunt; Et si hoc de istis sanctissimis sororibus asserendum est, quid de Beatissima virgine dicemus, quæ tantâ erga pauperes & peregrinos, præcipuè erga suum filium charitate enituit? vix verbis immensa illius gloria & beatitudo aliquâ qualiter explicari aut inuestigari poterit. Ad cuius ponderationem notanda sunt ea, quæ in sacra scriptura asseruntur *Si quis Prophetam receperit in nomine Prophetæ: mercedem Prophetæ accipiet,*

piet. Et qui recipit iustū in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, *Marth. 10.*  
 Si ille, qui Prophetam in nomine Prophetæ recipit, mercedem prophetæ accipit, & qui iustum, mercedem iusti, quam, quæso, Martha in alio sæculo mercedem accipiet, cum non prophetam, sed ipsum Dominum, quem prophetæ prædicabant, & iustum per excellentiam, à quo omnes iustitiam accipiunt, hospitio exceperit? Et si hoc verbis exprimere vix aut agrè possumus, quomodo inenarrabiles immensæ gloriæ coronas, quæ Mariæ sacratiss. debentur, explicabimus, cum Christum nostrum Redemptorem non in domo lutea & terrea, sed in suo purissimo utero receperit? In sacris litteris refertur *4. Reg. cap. 4.* quod cum Eliseus quadam die per Sunam civitatem transiret, à Synamitide egregia matrona detentus fuit, vt secum prandium sumeret, & cum sæpidus sanctus Prophetæ per illam civitatem suū iter cōficeret, semper ad Synamitidem diuertit, vt in eius domo hospitium haberet, ipsa verò, vt honestiùs suum hospitem tractare & ei inservire posset, ex mariti consensu paruum cœnaculum pro Eliseo extruxit, vt ibi quiesceret, cum longo itinere defatigatus Sunam aduentaret. Sanctus Prophetæ vt hospitium solueret, & sui animi gratitudinem ostenderet, filium à Deo pro ipsa obtinuit, & illum iam

gravi capitis dolore extinctum, ad vitam reuocavit. Si ita Prophetæ Eliseus sui hospitij mercedem soluit, liberaliùs ipse Deus charitatis officia sibi hic exhibita compensabit, vt in Martha & Maria compertum fuit; Martham enim à fluxu sanguinis liberavit, Mariam verò omni peccatorum genere contaminatam ad suam amicitiam admisit, & propter vtriusque preces Lazarum iam fatidum & proximè ad vermes dispositum ad vitam reuocavit. Quid non Mariæ Angelorum Regine preces apud Deum impetrabūt? Quot millia hominum ipsius auxilio ad nouam vitæ gratiam restituti sunt, cum aliàs peccatis & sceleribus emortui & sepulti essent? Martham & illius domum beatam nuncupare possumus, potiori tamen iure Mariam sanctissimam, quæ viuam Deo habitationem exhibere potuit. Meritò ergò hoc Euangelium ab Ecclesia in festo assumptionis legitur, vt immensa illius præmia nobis aequaliter innotescerent. Quæ cum ita sint, ad primum nostræ concionis intentum redeamus. Tres enim festiuitates Beatiss. Virginis in hoc vnico assumptionis die celebrat nostra mater Ecclesia, illius scilicet mortem, resurrectionem & mirabilem ad cælos assumptionem. Mortua quidem fuit Beatissima Virgo Mater Dei, & nos omnes à primo vsque ad vltimum moriemur, licet duri-

duriora mortis certamina expectare possimus: Maria enim Sanctissima dulcissimam mortem sine mentis illusionibus, phantasmatis, aut interno inferni, vel extremi iudicii timore experta est, in quo peculiarissimis Dei favoribus & priuilegiis dotata est. Ad cuius ponderationem notanda est historia Ioseph, cum ipsi totius Aegypti supremum regimen collatum fuit, parentem enim suum Iacob sapiens ad se vocauit, diuersa munerum genera remisit, secum duxit, vt se iam Rege & supremo totius Aegypti dispensatore potiretur, absque dubio Sanctus senex maxima lætitiâ & gaudio perfusus fuit, cum suum filium, quem mortuum existimauerat, non solum viuentem, sed totius regni dispensatorem conspexit. Quot cælestes inter-nuncios, quot Spiritus Angelicos Christus noster Redemptor suæ sanctissimæ Matri ante illius obitum remisit, vt illius immensam gloriam prænunciarent! & præcipue Gabrielem Archangelum Dei fidelissimum nuncium misit. Quâ lætitiâ & cordis exultatione Beatiss. Virgo ad hoc iter perficiendum præparata fuit, vt suum filium charissimum in cælesti patria Principem & Dominum totius cælestis curiæ in-tueretur! *Vadam & videbo eum. Gen. 45. Qui ex vno ad alterum regnum discedere solent, prius iuxta statuta regni leges, pecunias, & ea quæ*

secum portant, designatis à Rege officialibus manifestare debent, ad quod diligentius præstandum & exequendum, certi quidam custodes deputati sunt, ita in suo munere curiosi indagatores, vt etiam intra soleas calceorum pecunias exquirant, & si forsitan aliquid inueniant, quod apertum antea non fuerat, per vim rapiunt, & tanquam bona perditâ extorquent. Idem, charissimi filii, nobis contingit, cum ex hac vita ad aliam migramus, tot enim custodes, & tam curiosi inuestigatores in periculoso isto itinere occurrunt, dæmones videlicet, vt vix eorum manibus euadere possimus; intima nostræ conscientiæ secreta, etiam vel minimam cogitationem perlustrant, & si quid reperiant, quod per veram confessionem manifestatum non fuit, non solum alia bona, sed animam præcipue æternis inferni pænis puniendam arripiunt. Sunt aliqui, qui in discessu diuitias, quas secum portare nequeunt, abscondunt & occultant, imò si locus non pateat vbi reponant, mærore & tristitiâ afficiuntur, vt illi diuiti contigit. *Quid faciam, quia non habeo quod congregem fructus meos? Luc. 12.* Tandem in custodes incidunt, qui omnia vsque ad animam extorquent. *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te.* Hunc periculosum ex hac vita ad aliam transitum & progressum omnes etiam viri Sanctissimi

aiffimi expectant, & qui iam ex hoc  
 sæculo feliciter migrarunt, experti  
 sunt. Cæterùm Beatissima Virgo in  
 sua felicissima affüptiõe ab omnib.  
 istis moleftiis ex peculiari Regis  
 gloriæ priuilegio liberata fuit, sine  
 anguftia ac comotiõe spirit<sup>9</sup>, aut in-  
 terno dolore ad ætherea regna euo-  
 lauit. Optimè S. Iob mortem com-  
 mutationem appellauit. *Expecto do-  
 nec veniat immutatio mea. cap. 14.*  
 Ac si diceret. In hoc sæculo tan-  
 quam armatus miles, qui singulis  
 momentis hostem expectat, vitam  
 dego, confido tamen hanc perpetu-  
 am cum hostibus concertationem,  
 in æternam vitam commutandam  
 fore; Vita mea continuum quod-  
 dam bellum est, expecto tamen  
 mortem in pacem esse commutan-  
 dam. Sic in nostra vita philoso-  
 phandum est; si enim contra dem-  
 onem, carnem & mundum bellum  
 gessimus, nostra mors in pacem com-  
 mutabitur, si verò cum prædictis  
 hostibus pacem & confæderatio-  
 nem iniuimus, perpetuū in alio sæ-  
 culo bellum geremus: Quod si vita  
 laboriosa fuerit, in morte maximā  
 tranquillitate & pace perfruemur;  
 cū ergo vita Mariæ Sanctissime  
 continuis laboribus plena fuerit, il-  
 lius mors suauissima, pacifica & iu-  
 cundissima fuit. Cū clauū firmi-  
 ter parieti affixum extrahere volu-  
 mus, prius parietem ictibus circū-  
 circa commouemus & comminu-

imus, deinde spontè clauus deci-  
 dit, etiam si malleo non tangatur: Ita in pretiosā morte Beatissimæ  
 Virginis contigit, illius enim san-  
 ctissima anima sine vlllo profus  
 dolore à corpore separata fuit, quia  
 dum viveret, sacratissimum eius  
 corpus immensis laboribus & an-  
 gustiis ex amore sui filii perpeffis,  
 comminutum fuit: Tum, cū in  
 præsepio inter bruta animalia ia-  
 centem, postea circumcissum vidit;  
 tum etiam, cū in Ægyptum fu-  
 git, & deinde cū ad turpissimam  
 mortem damnatum, carnem  
 eius sacratissimam, quam ex ipsius  
 purissimis visceribus desumpserat,  
 tam turpiter & crudeliter vulnera-  
 tam conspexit, quæ omnia ita Ma-  
 riam Sanctissimam commouerunt,  
 & illius ossa comminuerunt, vt in  
 morte, anima sine vlllo doloris ta-  
 ctu à corpore separata fuerit. *Non  
 consurget duplex tribulatio. Nahum 1.  
 cap.* Ex diuina planè prouidentia  
 ordinatum fuit, vt Maria sacratiss.  
 quæ in morte sui filij tot dolorum  
 vulneribus transfixa fuerat, mor-  
 tem propriam sine doloribus expe-  
 rireretur. Si enim de sancto Evangeli-  
 sta Ioanne dicit Sanctus Hierony-  
 mus in sermone de assumptione,  
 eum mortis dolores non sensisse,  
 quia tot in morte Christi pertulit;  
 potiori iure id de Beatiss. virgine as-  
 serendū est, cū longè maiores atq;  
 Evangelista ptulit, ipsa in separatiõe

suæ Sanctissimæ animæ à corpore, illa fortissima mulier extitit, de qua Prouerbi, 31. dicit Salomon. *Et ridebit in die nouissimo*; mortem enim lætissima aspiciens, ad cælestia gaudia euolauit. Secunda festiuitas, quam hodiè celebramus, est illius gloriosa resurrectio. *Cum* storem aliquem ex vno ad alium hortum transplantamus, cum eadem terrâ, quæ radicibus adhærebat, deferre solemus; sic Beatissima Virgo cum corpore & anima ad cælestem paradysum translata fuit. *Quasi plantatio rosa in Iericho Eccles. 24.* neq; enim existimandum est, filium pmisisse, vt suæ sacratissimæ matris corpus corrumperetur & vermium esca fieret, aut in puluerem ac cinerem cõuerteretur. Nam si in desolatione ac devastatione Iericho non permisit Iosue, vt domus Raab meretricis destrueretur, quia à se missos exploratores receperat, maiori quidè iure tenebatur Deus corpus suæ Sanctissimæ matris illesum à corruptione seruare, in quo nõ vno vel altero die, sed nouem mensibus habitauit. Ided Sancti Patres & Doctores Ecclesiæ affirmant, post breve tempus, quo Apostoli corpus emortuū sepulchro imposuerunt, iterū reuixisse; Quia tamen in sacris litteris nihil de hoc statutum est, ided iuxta consilium Sancti Aug. rationes, quæ autoritatem suppleāt, adhibendæ sunt. Et imprimis

regulatiuris est, quod si aliquis grauius & inuitata peccata committat, iudices non tenentur in eorum punitione iura cõmunia seruare, quæ cum aliis obseruari solent; Nam iustum est, vt illi qui extra cõmunem modum & ordinẽ deliquerūt, supplicis etiam extraordinariis puniantur; Ita cum Sodomitis actum est, quia enim in grauisima & horrèda peccata extra communem naturæ ordinẽ inciderāt, ided sine dilatione exquisitis pænarum generibus à supremo omnium iudice, eodem igne, quo dæmones & damnati in inferno conflagrari solent, grauisimè puniti fuerunt. Ad propositum ergo cum Deus æquè iustus sit atque misericors, cum in Maria Sanctissima tantæ & tã exquisitæ prærogatiuæ & virtutes reperiantur, mirū non est, si Deus præmia illius eximiis virtutibus debita, acceleret, nec cõmunem aliorum resurrectionem expectet, sed emortuum corpus statim ad vitam reuocet, antequam in cineres & puluerem conuertatur, Præterea corporum corruptio ex peccati corruptione orta est; *Puluis es & in puluere reuerteris, Gen. 3.* Et hæc pœna in patrati sceleris vindictam inflicta est. *Qui enim sui Regis proditores sunt; non solum in pœnam delicti capite plectuntur, sed etiam illorum domus solo adæquatur, vt cum nostris primis parentibus, & eis, qui ex illis deriuantur, factum*



factum est; corpus tamen & domus Reginae Sacratiss. cum nullo actuali peccato infecta fuerit, nec, ut probabilis censet opinio, peccatū originale contraxerit, quare deijcienda & destruenda esset? cum corpus animæ unitum aliquod malum operatur, in pœnam pro corpore & anima destinatum est purgatorium, pro corpore vermes, terra, & corruptio in purgatorium designata sunt. Quemadmodum ergo anima suam gloriam assequitur? Ita etiam corpus, quod cum anima conformiter ad rationem & diuinas leges cōvixit, suā peculiari gloriā splendidissimè micat. Corpus igitur Mariæ sanctiss., quodd nec vllam malam cogitationem admisit, nec aliud quam diuinas laudes protulit, vermibus & terra consumendum erat? Manus, quæ nunquā nisi in laudes conditoris sui eleuatæ fuerūt, oculi, qui nunquam nisi ad exaltandum Deum aperti sunt, pedes, qui non ad aliud quam in Dei seruitium & bonū hominum progrediebantur, nec vermiū, nec corruptionis vllā possessionem aut iurisdictionem sentire debuerunt, corpus ergo Mariæ sacratissimæ simul cum anima aternis gaudiis perfruitur. Sancti, etiamsi eximiā sanctitate præditi sint, dum tamen sunt in presenti sæculo, continuam inter carnem & spiritum luctam experiuntur, quæ non nisi per vtriusq; separationē si-

niri potest; sicut in aliqua ciuitate contingere solet, si inter duos nobiles perpetuæ lites & contentiones oriuntur, non alio modo à ciuitatis præfecto, quam per vtriusq; separationem sedari possunt: At in Beatissima Virgine inter illius carnem & spiritum nullæ dissensiones aut lites excitatæ fuerunt, sed ita amicabiliter conuixerunt, vt nihil quod animæ placuit, corpori ei° displicuerit, quare ergo tam boni & fideles amici adinvicem separandi erant? Deinde sacratissima caro, quæ Christus Saluator noster ex Maria sanctiss. desumpsit, sine vlla corruptione fuit, vt constat ex psalmo 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Vnde videtur consequenter dicendum, nec carnem suæ matris corruptionem aspexisse, Et si Daniel ex rugientium leonum dentibus à Deo liberatus fuit, quare non etiam corpus sacratissimæ virginis à vermibus liberandum erat? Arca fœderis Deo sic speciali curâ prouidente ex lignis Cethin, quæ incorruptibilia erant, confecta fuit, quare ergo Deus permittere deberet, vt vera fœderis arca à vermibus, & putredine consumeretur? Deinde in libris Regum mysteriosè legitur, quodd cum Rex David Amalechitas deuicit, spolia, quæ in bello capta fuerunt, in æquales partes diuisit, ac inter milites distribuit, & eos, qui militarem apparatus & sarcinas custo-

custodierant, his qui in prelio decertarant, in præmiorum distributione adequauit: Ita Deus voluit, vt spolia & gloria, quæ Christus in monte caluarie consequutus est, cum eius sanctissima Matre diuiderentur; Licet enim solus Christus Saluator noster suos hostes superauerit, & ab illis gloriosam victoriam reportauerit, imò vsque ad infernum eos insequutus fuerit, Virgo tamen sacratiss. tentoria, & resurrectionis instrumenta, & omnem militarem apparatus iuxta crucem custodiuit: Spolia ergò, quæ ex Christi victoria obtenta sunt, cum ea diuidantur, vt, quemadmodum Christus à mortuis resurrexit, & in corpore & anima ad cœlestia regna triumphali pompa & apparatu conscendit, ita etiam Maria sacratissima in corpore & anima ad cœlestia beatorum gaudia assumatur. Preterea Exodi 2. præcipiebat Deus, vt si famulus per aliquod tempus alicui domino inseruiret, si postea dimitteretur, aut absoluto suorum seruitiorum tempore discederet, æquales in bonitate vestes secum ferret, atque adduxerat. Cùm ergò Regina Angelorū suā sanctiss. animā preciosissimo corpore induta, in Dei famulatum se totā deuouerit, iustum non erat, vt anima suis vestib. denudata, atq; à vermib. consumatis, ex hac vita migraret, sed potiùs gloriosis exornata vestibus dimittenda erat, iuxta il-

lud Prouerb. 31. *Byssus & purpura indumentum eius: Et ridebit in die nouissimo.* Tres illi familiares Nabuchodonosor ita ab igne illæsi euaserunt, vt nec vestes quidē ignis tetigerit. Et si hoc cum illis actum est, idem præstitit Deus cum carne sanctissimæ suæ matris, ex quā nostram mortalitatem assumens, indutus fuit. Tandem vt hanc veritatem concludamus, animaduersione dignissima est illa visio Evangelistæ Ioannis Apocalyp. cap. 12. quā mulierem sole circumvestitam, lunam sub pedibus, & in capite eius coronam stellarum duodecim cōspexit. *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite ei⁹ corona stellarū &c.* Quid hæc mulier tam pulcherrimis & gloriosis veltibus exornata representat? non aliud nostro iudicio, quàm Beatissimam virginem ad cælos in anima & corpore glorioso ascendentem representat. *Mulier amicta sole;* idē forsitan mulierem vidit Evangelista Ioannes tanto splendore corruscantē, & non animam, aut mulieris corpus, quæ duo integram mulierem constituunt, vt manifestiùs constaret tam animam, quàm corpus Mariæ sanctiss. in forma gloriosa cœlestia palatia conscendisse. Tertiam festiuitatem celebrat hodiē nostra mater Ecclesia, nempe illius super omnes choros Angelorū admirabilem assumptionem. Quando sanctus Prophe-

ta Da-

ta Dauid suo regno pacificè fruebatur, & se in suo regio palatio tantis sumptibus, extracto cōtemplabatur, arcam Domini in memoriam reuocās, sic dixit ad Nathan, *Videsne quidd ego habitem in domo Cedrina, & arca Dei posita sit in mediopellū?* 2. Reg. 7. Ac si diceret, nec iustū nec licitū est, vt ego in domo cedrina habitem, & arca Domini sub pellibus moretur, in loco præstantiori collocanda est. Si sanctus Propheta tantam curam adhibuit, vt arca fæderis in honorifico loco pōeretur, quantā, quæso, Fili<sup>9</sup> Diuinus, p matre, quæ vera arca fæderis erat, adhibuit, vt in præstantissimo gloriæ solio collocaretur? Cū autem vellet Sanctus Propheeta arcam Domini ad honoratiorem locum adducere, omnes Sacerdotes & Leuitas cōgregauit, qui maximā pompā & solēnitatem eā ad destinatū locum duxerunt. Hodie igitur Christus Redemptor noster vniuersā curiā cœlesti comitatus, musicā, & vocum suauissimè personantium concentu ad suam sanctissimā matrem descendit, eamq; in tumulo iacentem, & Apostolis stipatam, tanquā illius charissimus Sponsus, his ad se verbis vocauit, *Surge, propera amica mea, columba mea, & veni.* Cant. 2. Quibus vocibus Beatissima Virgo quasi ex somno expergefacta, & ministerio Angelorum eleuata, sole & lunā clarior ac splendidior surrexit, & ad cœlestia palatia progredi in-

capit. Apostoli cū eam ascendentem conspicerent, magnis clamoribus aëra concrepabant. *Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere vt intueāur te.* Cant. 6. cap. Quia se tantis thesauris orbatos considerabant, post Christi ad cœlos ascensionem, hoc vnicum solatium illis supererat, præsentia videlicet Marię sanctiss. idē eam ad cœlos ascendentem iterum ad se vocabant, ne tanto solatio priuarentur. Et si Spiritus Angelici tanto gaudio & exultatione in morte pauperis Lazari comparuerunt, & illius animam magnā lætitiā in sinum Abrahamæ deportarunt; potiori planē iure hodiernā assumptionis die, omnes Spiritus Angelici suæ Domine & supræ Imperatrici occurrerūt, & illi famulantes, vsq; ad sanctā ciuitatem Ierusalem eā comitati sunt, & non solum ipsi, sed Christus noster Redemptor cum vniuersā curiā cœlesti in eius occursum venit. Vix verbis exprimi potest quanta fuerit, & quā mirabilis hodiernæ assumptionis celebritas; idē Evangelistæ nihil de illa tetigerunt, silentio potius & admiratione, quā verbis illam explicantes. Sicut illi Cherubim, qui coram arca fæderis adstabant, præ admiratione mutū se conspicientes, plus silentio indicarunt, quā si mysterium in arca & propitiatorio contentum verbis exposuissent, nullus enim lætitiæ signa iucundissima, quæ à cœ-

lestibus, ciuibus ostensa sunt, humana lingua explicare poterit. Quando Bethsabée suum filium Salomonem conuenire & inuisere uoluit, Positusq; est thronus matri regis, qua sedis ad dexteram eius. 3. Reg. 2. Quam sic Salomon affatus est. *Pete mater mea: neque enim fas est ut avertam faciem tuam.* Bethsabée autem solum pro Adonia proditore rogauit. Sic Beatiss. Virgo in sua gloriosissima assumptione ad dexteram sui filij sedes, *assitit Regina à dextris tuis, ps. 44.* perpetuum patrociniū pro peccatoribus, qui sunt Dei proditores, agit, & forsitan hac de causā in corpore & anima ad caelestia regna evolauit, vt, sicut Christus suū sacratissimum corpus diris uulnerib; transfossū Patri Diuino ostendit, cum eum contra peccatores iratum animaduertit, vt iustum illius furorem compescat; ita Maria sanctissima suo Filio meritō in peccatores propter ipsorū scelera comoto, sua uera ad eum placandum proponat, vt sic homines ad suam pristinam amicitiam reuocet, in presenti saeculo gratiam impetrando, & in futuro gloriam, quam mihi & uobis praestare dignetur Iesus Christus. Amen.



## Sermo Tertius.

PRO SALVTATIONE  
Angelica.

I quis Dei effectus uarios, & diuersitatem influxuū diuinorum, quibus dōa supernaturalia nobis communicat, attentē perpendat, statim deprehendet Deum eodem modo in iustorum animas influere atque sol, cum in hac inferiora suae lucis radios diffundit. Sol enim si in amena & uerentia prata micantem splendorem inluat, visum uarietate florum splendentū recreat & delectat; si uerō in aquae crystallinae fluium suos radios dispergat, mirabili plane iucunditate ex aquarum conspectu orta, nostros animos replet: Quod si puro & crystallino speculo suam lucem communicet, tantā uir & efficaciam suum effectum causat, vt visus noster splendenti luce hebetatus ac percussus, uix pra uirium debilitate solem in speculo splendentem intueri possit. Sic sol iustitiae, cum Ecclesiae uirentibus confessorum pratis sua dona communicat, maximā intuentes delectatione afficit; iucundissimum enim est u-

nius